

## Universitätsbibliothek Paderborn

### V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam  
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui  
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum  
dierum Quadragesimæ

**Družbicki, Kaspar**


**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066405**

Passionis & Orationis Dominicæ Accomodatio septuplex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45427**

non addo. Hæc ut arbitror, sufficiunt probare, sententiam hanc, nec stultitiae, nec falsitatis, nec temeritatis, nec præsumptionis posse damnari, neque esse contra apertam scripturam: ut alicui pronuntiare visum est.



Septem accommodationes Passionis & Orationis Dominicæ, aliâ quondam occasione conscriptas, his meditandi Passionem Christi modis accensere volui: arbitratus hanc quoque meditandi rationem devotis amatoribus contemplatori- busque Passionis, non ingratam, nec inutilem fore.

## ACCOMMODATIO I.

**C**Onferre septem postulationes Orationis Dominicæ, septem effusionibus sanguinis Christi in Passione.

Pater noster qui es in cælis. Oratio & ascensionis in Deum, qui cum peculiariter in Cœlis residenceat (estò Cœlum & Terram impletat) idcir-

V.P. Druz. Op. VIII.

Ccc

co

770 *Passionis & Orationis Dominice*

eo Christus Dominus docuit nos hunc in modum orationem nostram inchoare, ut ad Patrem in cœlo manentem corde ingredientes, ibi eidem petitiones nostras exponamus.

Sanguis JEsu Christi ex clavis Cœli: quia ille omnibus hominibus, cœlum peccato occultum reseravit. Hanc ergo clavem accipe, & cœlum tibi reserans ingredere, & appropinquans ad Thronum Majestatis Dei cum fiducia, dic Patri cœlesti. *Pater noster, qui es in Cælis.*

Ex Evangelica narratione habemus, Christum Dominum septies potissimum fudisse pretiosum sanguinem suum, ad has effusiones sanguinis conferre potes totidem Postulationes Dominicæ orationis.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum,* Prima sanguinis Christi effusio fuit in circumcisione, octavo à nativitate die, quo etiam Sacro-sanctum nomen JESUS à Patre quidem Aeterno donatum, à Pretiosissima autem Parente inditum accepit.

Consecrasti & perfudisti bone JEsu sanctissimum tuum nomen, sanguine tuo: infundé etiam obsecro pretiosum istud nomen tuum, in corda omnium nostrorum, ut in nobis per merita sanguinis tui, semper & amplius sanctificetur & magnificetur.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum,* Altera effusio sanguinis fuit in coronæ spinae impositione, quâ caput Christi Domini crudelissimè confossum, sauciatum, & cruentatum fuit. Hoc cruento Dominus JESUS nobis cœlestis regnum mercatus est, fecitque nos Patri Regale sacerdotium.

O Bone

O Bone JESU adveniat quæso hoc tuum Regnum in nos, & nos in illud: & per merita sanguinolentæ Coronæ tuæ, corona nos æternæ gloriæ coronâ, in beatissimo Regno tuo.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* Tertia sanguinis effusio fuit in horro, quando inter orandum ad Patrem sanguinem fudit Dominus, submittens se ad omnem voluntatem ejus, & ad ebibendum calicem amarissimæ Passionis atque mortis, sibi à paterna manu pro nobis propinatum.

Da & fac O Bone JESU tuam sanctissimam voluntatem gustabilem, ut semper à nobis, & in nobis perfectissimè impleatur. Resperge sanguinei sudoris tui rore copioso corda nostra, & voluntates nostras, ut plenè, sincrè, æternaliter, voluntati tuæ subiectæ manentes, nullo unquam modo sese ab ea separent.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quarta Christi sanguinis effusio, fuit in flagellatione ad columnam: in qua corpus Boni JESU multis vibicibus, & vulneribus, instar frumenti planè in farinam commolitum; Anima vero Sanctissima pane doloris & amaritudinis saginata fuit.

Da nobis Bone JESU gustum in pane quotidiane tribulationis, propter amorem tuæ benedictæ voluntatis: condiens eum nobis condimento tui pretiosi sanguinis: ut nobis omne gaudium sit, pati semper aliquid amarum, à suavisima tua Providentia nobis ordinatum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta sanguinis Christi Profusio, fuit in detractione

Ccc 2

vestium,

vestium, ad cruentum vulneratumque Domini  
JEsu corpus, tenaciter adhærescentium: quæ de-  
tractio præter acutissimum dolorem, vulnerum-  
que renovationem, fieri non potuit absque ma-  
gna & multipli sanguinis effusione.

O mi JEsu quoties renovamus nos pecca-  
tores vulnerata amarissima, dum ad inolitare  
vertimur peccata? Attamen tu dissimula incon-  
stantiam nostram, renova autem indulgentiam  
tuam. Effunde iterum balneum sanguinis tui  
super iniquitates nostras, propter quam & nos  
iteratò & iteratò condonamus debitoribus no-  
stris, omnia debitæ nostra.

*Sexta Petatio. Et ne nos inducas in temptationem.*  
Sexta effusio sanguinis fuit, quando Christus  
Dominus noster Crucifixus & inter latrones  
deputatus, venenatisque & blasphemis omnium  
linguis, tanquam signum, cui ab omnibus con-  
tradiceretur, expositus fuit.

Assume tibi crucifixum hunc JEsum in scu-  
tum contra omnes tentationes, adversitates,  
periculaque corporis & animæ. Sanguine pe-  
dum ejus, ablue & emunda inordinatos affectus  
tuos. Sanguine manuum ipsius, supple & ador-  
na paupertatem nuditatemque operum tuorum,  
ut sanguine isto signata, non iram, sed gratiam,  
nec poenam, sed mercedem coram oculis Dei  
inveniant, & de manibus ejus referant.

*Septima Petatio. Sed libera nos à malo. Amen.*  
Septima sanguinis effusio fuit, in transfixione la-  
teris & cordis Domini JEsu jam mortui, ex quo  
vulnere exivit sanguis & aqua. Sanguis quidem  
in pretium redēptionis: Aqua autem in ablu-  
tionem omnis peccatoris.

Pete,

9: D.  
BICK  
oper:  
Tom 4.  
N 3  
5

Pete, ac impetra te admitti ad hoc balneum, & inibi ablue ac depone omnia inquinamenta cordis tui. Fuge sicut columba simplex, & imbellis à facie rapacium milvorum, ad foramina hujus petræ, & ibi securè inhabitans requiesce, non solùm nihil mali formidans, sed etiam aper-tum æternæ felicitatis ostium possidens.

## ACCOMMODATIO II.

**C**Onferre septem extrema Christi in cruce verba cum septem Postulationibus Oratio-nis Dominicæ.

*Pater noster qui es in cælis.* Crux Christi est veluti navis, aut pons super mundi & vitæ hujus stagnantes aquas stratus, in eorum gratiam & commoditatem, qui hanc navem, aut pontem istum, ad vitæ suæ viam adhibere volunt. Cave exscendas navem hanc, cave pontem hunc ne-gligas, indubitate namque diluvium absorbebit te. Insiste potius ponti huic perque eum pro-grediens portum tene, portamque resera coele-stem tibi, & coram throno Majestatis Dei pro-stratus dic toto corde tuo. *Pater noster, qui es in celis:* coram Te ego vilis creatura effundo desi-deria cordis mei, &c.

Prima Petatio. *Sanctificetur nomen tuum.* Pri-mum verbum Christi in cruce. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti.* Semper & assidue Dominus JESUS, cor suum ad Patrem Æternum con-versum & adhærens, habebat, & tam in pro-speris, quam in adversis nomen ejus sanctifica-bat, nec in cruce pendens, à consuetudine sua

Ccc 3

cessa-

Pete,

774 *Passionis & Orationis Dominice*

cessavit, sed in ipsa etiam amarissima derelictione vocem nihilominus & mentem suam devotissimè, humillimè, fidentissimèque ad Patrem convertit.

O Bone IESU propter nos in doloribus crudeliter, & nihilominus nomen Patris tui sanctificare non oblite, doce me, & mecum omnes servos tuos sanctificare nomen tuum divinum tam in prosperitatibus, quam in adversitatibus præcipue autem & nominatim in ultimo agone mortis, a Te non derelinquamur, sed potius omnipotentis dexteræ tuae auxilio, ita efficaciter confirmemur, conservemurque, sicut fiducialiter ad Te confugientes clamamus, Deus noster, ne derelinquas nos nunc, & in hora mortis nostræ.

Secunda Petitio. *Adveniat regnum tuum*. Aliud Christi in cruce verbum fuit. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quo verbo exaudivit Dominus IESUS latronem petentem ac dicentesibi, Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. O admirabile certamen! latro solam sui reminiscentiam mendicat, Dominus vero integrum suum regnum plenamque secum beatitudinem absque ulla dilatione confert.

Et ego licet repletissima iniustitate creatura tua, obsecro Te liberalissime IESU, evaca me ab omni amore studioque hujus mundi, & inflamma me incessabili desiderio regni tui; & quandocunque ego petens dico, *Adveniat regnum tuum*; Tu ex bonitate tua semper in vita & morte mihi responde. *Hodie mecum eris in Paradiso cœlestis gloriae*.

Tertii

*Tertia Petilio. Fiat voluntas tua, sicut Cælo, & in terra. Tertium in cruce Christi verbum fuit. Consummatum est. Totum scilicet quidquid in scripturis scriptum, quidquid à Patre in cœlo decretum de Christo fuit. Habes homo, exemplar vivum consummatæ obedientiæ, subjectio- nisque ad voluntatem Dei. Felix anima quæ semper, quæ veraciter, quæ in omni vitæ mortis que articulo dicere potest Deo suo: Consummatum est Domine universum beneplacitum tuum. Exora ergo humillimâ instantiâ bonitatem Dei, ut te transformet, nuncquidem in perfectam subjectionem, postea vero in beatificam fruitionem suayissimæ voluntatis suæ.*

*Quarta Petilio. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quartum Christi in cruce verbum. Sitio. Quo verbo Dominus JESUS testatus est, non tam sitim suam corporalem, (licet & hanc ardentissimam passus sit, ob immanitatem, diuturnitatemque pœnarum) quam potius interiorem salutis animarum nostrarum. O mi homo, JESUS præ fame sitique salutis animæ tuæ moritur: & tu nihilominus procrastinatione tuæ pœnitentiæ, tuæ emendationis, tui profectus excruciare illum non desinis? Te Deus ardentissime sitit, tu autem ingratissime Deum contemnis? siti tandem & ipse vicissim Deum. Hoc enim bonum sold voluntate tibi venale proponitur, cupiditatem ipsam sui Deus ingentis pretii loco habet. Silit sitiri. Ergo quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita sitias Deum, ita sitias tuam & proximi salutem, in virtute profectum, cum Christo conformitatem, cum Dei voluntate unionem. Hic sit tuus quotidianus*

Ccc 4

panis

Nazianzenus  
Orat. 40.

776 *Passionis & Orationis Dominice*

panis, quotidie renovari Spiritu mentis tuz, &  
æmulari charismata meliora, te aliosque tecum  
ad perfectiorem viam Dei trahere & rapere.  
Non potes meliore viatico ac pane viam vitæ  
mortisque tuæ instruere, quæm pane affidui in  
gratia virtutibusque profectus, quæm alienæ si-  
lutis ardenti & laborioso zelo, quæm Sacrosancti  
Eucharistiæ Sacramenti convivio. Hæc enim  
omnia sunt Panis electorum Dei.

*Quinta Petitio. Et dimitte nobis debita nostra,*  
sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quin-  
tum Christi verbum in Cruce. Pater ignosce illis,  
quia nesciunt quid faciunt. Hoc verbo Dominus  
JESUS crucifixoribus & interfectoribus suis po-  
stulavit & paravit misericordiam apud Patrem.  
O si quomodo liceat potiri hoc corde, & disce-  
re hoc idioma JESU: ut homines condiscant isto  
idiomate, condiscant inimicos suos & debitores  
convincere.

Ecce Domine JESU innumeros habes cru-  
cifixores tuos, ecce habes & me, unum illorum,  
inter ipsos; impetra quæso nobis omnibus om-  
nium indulgentiam veniamque culparum, præ-  
fertim in articulo mortis meæ, propter articu-  
lum mortis tuz, & dimitte mihi omnia debita  
mea, sicut & ego per gratiam tuam, propter cha-  
ritatem tuam, dimitto omnibus debitoribus meis  
omnia debita mea.

*Sexta Petitio. Et ne nos inducas in tentatio-  
nem. Sextum Christi verbum in cruce. Ecce  
Filius tuus, Ecce Mater tua. Quo verbo Domi-  
nus JESUS Matrem suam juxta crucem stantem,  
discipulo Joanni, Joannemque Matri suæ com-  
mendavit. Nemo potest esse immunis à cruce,*  
qui-

qui libet sub cruce esse cogitur; non tamen omnes sub cruce JESU sunt, neque omnes, esto sint sub crucē JESU, subsistunt. Multi sub ea jacent, multi gemunt, multi sub ea tœdio nauseant, multi eam objiciunt. Non est hæc consulta ratio, cruces, tentationes, adversitates, cum murmure, cum ira, cum tœdio tolerare. Stare oportet modestè, quietè, patienter, fortiter, hilariter, famelice, humiliter, constanter, maximè quando JESUS ipse propter me in cruce pendet, dolet, moritur. Grande utique discriminis est, penderre affixum in cruce; & stare solummodo sub cruce: sufficit tamen si vel hoc solum præstes, tradet te JESUS Matri suæ in filium, & tibi Matrem, Matrem suam. Quæ pretiosior consolatio sub cruce stanti, quod majus subsidium in temptationibus posito, quæ major felicitas, & gratia in quavis adversitate, ac in primis mortis tempore, quam habere Matrem JESU in Matrem suam, esse Matri JESU in ejus filium, nec unquam dum spiras, deserere JESU crucem.

Septima Petition. *Sed libera nos à malo.* Septimum verbum Domini, in cruce. *Pater, iu manus tuas commendo Spiritum meum.* Hoc verbo JESUS conclusit vitam & Passionem suam, cumque isto verbo, portas mortis subintravit. Quid tu igitur ô homo tibi desideres & quæras amplius, quam ut exemplo Christi JESU commendata & traditâ in manus Patris Æterni animâ tuâ, exeras ex hoc misero mundo ad Patrem? Nunc dum licet per vitæ tempus eam tibi apud Patrem Deum para fiduciam. Nunc ama & imple omnem voluntatem Dei. Sic in hora mor-

Ccc 5 tis,

773 *Passionis & Orationis Dominicæ*  
tis confidenter dices Deo; Pater, in manus tuas  
commendo spiritum meum.

### ACCOMMODATIO III.

**C**onferre septem loca Passionis Dominicæ,  
cum septem postulationibus Orationis  
Dominicæ.

*Pater noster qui es in cœlis.* Passio Salvatoris  
nostræ, est veluti semita ad cœlum & vitam æter-  
nam: qua de re certos nos reddidit, ipse Domi-  
nus, cum post Resurrectionem suam, dixit disci-  
pulis suis. Oportuisse Christum pati, & ita in-  
trare in gloriam suam. Insiste igitur huic semi-  
te & tu, ac inter indubitata salutis consequenda,  
signa connumera, si quando te Dominus Iesus  
dignatur participem facere crucis & Passionis  
suz.

**Prima Petatio.** *Sanctificetur nomen tuum.*  
**Primus Locus** Passionis Domini est. Mons Cal-  
variæ, in quo Dominus Iesus crucifixus & me-  
dius latronum statutus, adimplevit illud promis-  
sum suum. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia  
traham ad me ipsum;* ad fidem scilicet notitiamque  
veri Dei, ad sinceram quoque ejus dilectionem,  
ad mundi ejusque vanitatum contemptum.

**O Bone Iesu,** ecce cor meum terræ affixum,  
amoris proprii, plurimarumque curarum sarcinâ  
gravatum, affectibus & passionibus immortifica-  
tis, inordinatis infectum, ad tuæ Majestatis volun-  
tatisque obsequium rebelle; trahe quæso illud,  
ad te, omnipotenti gratiâ tuâ, & voluntate, ut  
Sanctissimum Majestatis tuæ nomen sanctificet,  
ac veneretur.

**Secunda Petatio.** *Adveniat Regnum tuum.*  
Alter

G: D.  
BICK  
oper:  
Tom L.  
N: 58

Alter Locus Passionis Domini fuit ; Prætorium Pilati, coram quo Dominus noster Regnum suum spirituale confessus est, & à Pilato Rex nuncupatus, & concupiti regni nomine a Judæis accusatus, eadem de causa ibidem spineo diademate coronatus, purpurâ vestitus, Rex genu flexo consalutatus, sceptro arundineo, consputationibus & alapis dignatus est.

O mi JESU, quām magno Tibi constat hoc miserum satis super nos peccatores, & inutilissimos homunciones Regnum ! O nullum sinas dominari nobis Dominum, præter Te Domine JESU Rex vere. Ecce enim superbia dicit nobis ; Ego regnabo. Ecce ira dicit ; Ego Rex ero. Ecce Avaritia, Invidia, Luxus, Acedia, volunt regnare super nos. Averte mi JESU hos Reges à nobis : Tu solus esto Rex noster. Tu solus posside nos. Sit regnum tuum, maneatque in nobis & nos in eo. Ut Tu in nobis, & nos Tecum regnemus in sœcula.

Tertia Petatio. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Tertius Locus Passionis Christi, Hortus ; In quo Dominus JESUS posteaquam se totum voluntati Paternæ permisit, sponte quoque suâ, suis qui eum ad necem quærebant hostibus obviam venit, seseque obtulit. Non inhibuit Dominum JESUM ab amore & obsequio voluntatis Divinæ gravitas rei imperatæ prorsus gravissima ex omni genere circumstantiarum. Cujus gravissimi oneris effectus, in sudore sanguineo agonique mortali patuit, quando instar botri, in torculari pressi vel calcati, omnibus membris ejus guttae sanguinis decurrentes, in terram emanârunt, est hæc pressura in solidum taxat

taxat mentis apprehensione fuerit peracta, & ne-  
dum in opus externum re ipsâ producta.

O utinam aliquando in cordibus nostris ita  
pretiosa, æstimabilisque fiat Divina voluntas, ut  
illam omnibus rebus, illi autem nullam rem om-  
nino præferamus, propter nullas nostras privatas  
cupiditates, propter nullas humanas rationes, eam  
transgrediamur, sed potius eam semper plenèto-  
to cordis conatu exsequamur, illi conformemur,  
in illam transformemur, illi ad instar Domini JESU  
libenter, fortiter, constanterque adhæreamus, &  
subjiciamur.

*Quarta Petatio. Panem nostrum quotidianum  
da nobis hodie. Quartus Locus Passionis Christi  
fuit Cenaculum, in quo postquam se Dominus  
JESUS, ad usque discipulorum pedes lavandos ab-  
jecisset, stupendumque illud humilitatis magiste-  
rii factio, & verbo exhibuisset: deinde sub spe-  
ciebus panis & vini Corpus & Sanguinem suum  
fidelibus suis, in cibum & potum animabus salu-  
tarem obtulit, & reliquit.*

O verè dilexisti nos Domine JESU usque in  
finem? O homo, ecce Deus tuus, exhaustis om-  
nibus liberalitatis suæ modis, totum se tibi impen-  
dit, & quidem in cibum etiam potumque impen-  
dit, idque eò solum, ut tu vicissim te illi impen-  
dere ne graveris. Et audes etiam nunc moras  
nectere, audes iniri rationes accepti & dandi?  
Nunquid credis plus te daturum Deo, dando te  
ipsum, quam accepisti ab eo, accipiendo illum  
ipsum? Pro! monstrum humanæ, seu stultitiae,  
seu sterilitatis, quæ dans se Deo, & accipiens  
Deum sibi, etiam veretur ne forte plus dederit  
quam acceperit? Redde igitur, redde te Deo tuo,  
& red-

G: D  
G: BICK  
opere  
TOM I.  
N: 58

& redde totum, redde guttam, & accipies mare;  
redde granum, & accipies acervum; redde ato-  
mum, & accipies universum: redde nihil, & ac-  
cipies totum. Permitte te Providentia Dei, qui  
semetipso pascit, & nutrit, & saginat te, sine ut vi-  
cissim pascatur, nutriatur, sagineturque te, pro-  
fectu tuo, amore tuo, desiderio tuo. Si Panis  
eius, qui est panistus, etiam enim Deus esurit à  
te ipsum te, sicut & tu mendicas à Deo ipsum se,  
panem quotidianum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra,*  
sicut & nos, &c. Quintus Locus Passionis Chri-  
sti Domus Caiphæ Pontificis fuit: ubi Dominus  
noster falsè accusatus, malignè judicatus, injustè  
innocens ad mortem damnatus, crudeliter totâ  
nocte, tormento & contumeliâ interrogatus est.  
Numera & tu quoties in omni vita tua, Deus ju-  
sto suo judicio invenit te reum mortis, & tamen  
usque hodie pepercit tibi oculus ejus: & miseri-  
cordia Dei fecit, quod nec dum in inferno habitat  
anima tua. Nonne supplicabis ardenter huic  
Amori tuo, ne abbreviet, amoveatque à te misé-  
ricordiam suam, sed propter omnes injurias illas,  
quas propter te in domo Caiphæ totâ nocte susti-  
nuit, condonet tibi iniuriantes tuas, obliscatur  
que injurias suas, donetque tibi cor misericors, &  
injuriarum facile constanterque obliscens, ut  
ita proximi debitores tui referant à Te veniam de-  
bitorum suorum: sicut tu optas & petis tibi à Deo  
referre condonationem debitorum tuorum.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentatio-  
nem.* Sextus Locus Passionis Christi Palatum  
Herodis Regis, in quo Dominus Jesus, Majestas  
unica suprema, & Sapientia Æterna, pro stulto,  
pro

782 *Passionis & Orationis Dominicæ*

pro ridiculo, pro insano reputatus est, & fatuo  
rum morionumque albâ veste indutus, omnium  
fannis & jocis expositus est. Sic scilicet vera  
virtus, humilisque ac pauper innocentia, apud  
homines præsertim sæculi hujus pullos, & mundi  
Sapientes, æstimatur insania & sine honore,  
derideturque justi simplicitas, ab his qui auctu-  
sibi videntur. Sed venient dies, quibus sero er-  
torem cognoscentes, ipsi contra se sententiam  
ferent dicentes, & præ angustia spiritus gemen-  
tes. Ergo nos insensati, erravimus à via veri-  
tatis. Neminem igitur pauperem despexeris, ne-  
minem justum, & innoxium abjeceris, neminem  
derelictum deserueris, neminem simplicem &  
rectum irriseris unquam; omnium enim ho-  
rum causa derelicta est Deo, & ipse causas eo-  
rum intuetur, simul ac tuetur. Quodsite ob Dei  
aut virtutis negotium, studiumve contemni, fa-  
tuumve reputari contingat, gloriare in isto no-  
mine, & peculiarem id, Dei erga te favorem re-  
puta. Etenim qui propter JEsum despicitur,  
hic ab JEsu coram Patre Cœlesti ejusque Angelis  
prædicatur.

Septima Petition. *Sed libera nos à malo.* Se-  
ptimus Locus Passionis Christi, sepulchrum, in  
quo Dominus JEsus de cruce depositus, mater-  
nis delibutus lacrymis, sepultus est. Non depo-  
suit se ipsum de cruce Dominus, neque sponte  
suâ eam deseruit, non interruptus cursum Paf-  
fionis suæ, non à tramite Paternæ voluntatis desle-  
xit, donec in sepulchro clausus quiesceret. Va-  
de, & tu fac similiter, tuis laboribus in via virtu-  
tis perfectionis, operumque bonorum, in baju-  
latione crucis Christi, & persecutionum propter  
justi-

9: D  
BICK  
oper:  
TOMI L.  
N: 5  
8

justitiam, sola mors, solumque sepulchrum faciat finem. Quamdiu tempus mercaturæ est, negotiari ne desine, dum tempus habes bonum operare, donec vesper mortis adveniat, labora in vinea Domini, usque dum accipias diurnum denarium, in præsenti quidem gratiæ, & meriti, in futuro autem gloriæ & præmii: usque dum dicat tibi spiritus, ut requiescas à laboribus, à temptationibus, à conflictibus tuis, usque dum detur tibi merces magna nimis in manus, possessio scilicet omnis boni, & securitas ab omni malo in æternum.

## ACCOMMODATIO IV.

**A**ccommodando septem Petitiones Orationis Dominicæ, totidem convulnerationibus Christi Domini.

*Pater noster qui es in cælis. Dominus JESUS.*  
Christus noster est in Cœlo Mediator & Advocatus apud Patrem: cuius in omnibus necessitatibus nostris vultui assistit pro nobis, ostentans ei vulnera, quæ pertulit pro nobis in corpore suo, & veluti ad Patrem ita perorans. Quoniam ego vulnera ista, propter obedientiam tuam, & propter salutem humanam pertuli, non ergo pereant hi, quos adeò pretioso lytro redemi, &c. Ea propter Dominus JESUS, etiam in gloriose corpore prodiens è sepulchro, reservavit nihilominus præcipua manuum, pedum, & lateris vulnera, ut ejus ad Patrem interpellatio pro nobis efficacior, & salus redemptioque nostra certior quodammodo fieret. Adhæc ergo vulnera confuge, hæc Patri Æterno repræsenta, ex his auxilia

*auxilia salutis pro me, his te ab justa ira vindicta  
que Dei protege.*

*Prima Petitio. Sanctificetur nomen tuum. Pri-  
ma Convulteratio Capitis Christi Domini à spe-  
nea corona, quâ sacratissimum Christi capu-  
multipliciter, & profundè lethaliterque convul-  
neratum, proposuit simul universo mundo spe-  
ctandum, verum Christum sive Unctum Domi-  
ni, non oleo quopiam, sive unguento, sed fan-  
guine proprio. Hujus tam pretiosa copiosaque  
unctionis cum capite, simul facti sunt participes  
etiam capilli, hoc est, fideles & amatores omnes  
Christi. Esto & tu unus ex capillis JEsu oleo  
pretiosissimi sanguinis infinctus, sed ita ut in-  
hæreas capiti, neque à capite decidas, neque  
dolosa Dalila abradat. Indecorum quidem est  
capiti capillis nudari, sed & capillo nullum pre-  
tium est avulso à capite. Ornant & vestiunt ca-  
pilli caput suum, orna & tu caput tuum JEsum,  
moribus & actibus tuis, sanctificeturque nomen  
eius ex omnibus sanctis operibus tuis.*

*Secunda Petitio. Adveniat regnum tuum. Se-  
cunda Convulteratio dextræ manū Christi, ad  
quam manum Dominus JEsus latronem bonum  
pœnitentem & confitentem habens, eundem de  
cruce in Paradisum ac Regnum suum transtulit.  
Ne invide bonam fortunam latroni fortunato.  
Sed tamen, eandem tibi ipsi desidera, & postula.  
Sic Dominum tuum, esto crucifixum, etò  
crucifixus, semper confitere, ut te suâ dexterâ,  
propter amorem tui vulneratâ, complectens ac  
benedicens, introducat in Paradisum, & in Reg-  
num suum.*

*Tertia Petitio. Fiat voluntas tua, sicut in celo*

9: *D*  
*G. Bick*  
*operis* *E*  
*Tom L.*  
*N* *S*  
*5* *8*

*S*in terra. Tertia Convulnatio, dextri Pedis Christi, qui propterea vulneratus est, ut semitæ vestigiaque & ambulationes cordium nostrorum, merito sanguinis ejus, nec non doctrinæ & exemplis illius corrigerentur, & in executione voluntatis Divinæ erudirentur. Amplius ergo ne jam exerres, neque declines in partem malam, propriæ tuæ voluntatis, sed ita exsequere omnia, quæcunque Deus tuus vult, sicut exsequuntur Sancti omnes in Cœlo, sicut exsequebatur cor ipsius IESU in hac vita, sicut exequitur ipsem et Deus omne beneplacitum suum in perpetuam gloriam suam.

Quarta Petatio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quarta Convulnatio lateris IESU, per cuius apertio[n]em emanavit thesaurus Sacramentorum, & penu omnium spiritualium alimentorum, quibus animæ nostræ cibari, nutriti, & saginari delectabiliter salubriterque possent in omnem vitæ æternitatem.

Dulcis IESU admitte animam meam ad hunc aquæ vivum fontem, hoc est ad lateris cordisque tui amabilem scaturiginem, ut ex ea sugat cibum, potumque salutarem Sacramentorum tuorum, hauriat exinde panem quotidianum super-substantialem, ac cœlestem, quo in labore peregrinationis hujus vitæ confortetur, donec per auxilium gratiæ tuæ, feliciter ad patriam perveniens inibi fruatur Te, Pane vitæ æternæ, quo nutriuntur omnes Sancti, & Electi tui in Cœlo.

Quinta Petatio. *Et dimitte nobis debita nostra,* sicut *Et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta Convulnatio totius corporis, in flagellatione

V.P. Druzb. Op. VIII.

Ddd

illa

illa crudeli, in qua Dominus JESUS, ob multitudinem plagarum, à planta pedis ad verticem Capitis vulneratus, & veluti in unum quoddam perpetuumque vulnus, totum per corpus immutatus est.

Tua hæc imago est, ô Anima mea, tui est verissima effigies, tu es à tuis iniquitatibus vulnerata, & tantum non in ipsam iniquitatem immutata, cumulatum est vulnus tuum, super vulnus, nimirum peccatum peccato superadditum, en tamen in promptu medicina est. Ex integro scilicet saucius JESUS, ad integrum sanitatem tuam. Sana Bone JESU, sana omnium peccatorum meorum vulnera, vulneribus membrorum tuorum: dele omnes iniquitates meas, copiosâ & redundantie redemptione tuâ: & ego vicissim deleo de corde meo, omnes offensas, omniaque debita inimicorum, ac debitorum meorum sincerâ dilectione tuâ.

**Sexta Petatio.** *Et ne nos inducas in temptationem.*  
**Sexta Convulnatio**, Sinistri Pedis Christi. Sinner pes cordium nostrorum est propensio ad malum voluntatum nostrarum, hunc pedem ad lapidem offendimus, quam frequenter, tam & periculosè, hoc pede appropinquamus usque ad portas mortis; ideo amator animarum nostrarum JESUS, sinistrum pedem suum tranfigi voluit, ut corda nostra ex diaboli laqueis expediens illa post se incedere faciat, & per semitas Justitiae gradientes, usque in regione vivorum eadem constituat.

**Septima Petatio.** *Sed libera nos à malo. Amen.*  
**Septima Convulnatio** Sinistram manus Christi. Tremendo privilegio, an verius gladio obarmata est,

9: D  
Beach  
oper:  
Tom L.  
N: 58

est, sinistra manus Domini: ad sinistram enim ipsius stabunt hædi ab ovibus separati, hoc est reprobii, & impii omnes, æternæ damnationis fulmineam sententiam exspectantes.

O mi JESU; ergone hunc in finem sinistra  
tua vulnerata est, ut ex ea non salutifer sanguis,  
sed igneus damnationis furor stillet super pec-  
catores ? transfer dulcis & pie Domine JESU,  
transfer nos peccatores licet, redemptos tamen  
tuos, à sinistra tua, ad dexteram tuam, & nos  
libera à malo, à peremptorio nimirum decreto  
furoreque tuo. Non audiamus à Te Domine  
amarum illud verbum: Ite maledicti :sed potius  
sonet in auribus nostris, vox tua illa dulcis. Ve-  
nire benedicti, &c.

## ACCOMMODATIO V.

**A**cmodando septem Petitiones Orationis  
Dominicæ totidem comitibus, seu totidem  
condimentis Passionis Christi.

*Pater noster qui es in Cœlis.* Considera Domi-  
num JESUM esse nostrum exemplar & speculum,  
tam vivendi seu agendi, quam patiendi in præ-  
fenti vita, quod speculum in omni quidem vita  
& opere Domini, at potissimum & luculentissi-  
mè in Passione ipsius elucescit. Converte ita-  
que & defige oculos tuos in speculum istud, in-  
spice, & secundum illud fac, attendens diligen-  
ter, ne qua ex parte dissimilem te Christo Do-  
mino effingas. Frustra enim obstrepit Deo,  
*Pater noster qui es in cœlis*, ille, qui JESUM Crucifi-  
xum non effixit in se, qui non portat stigmata

D d d 2 Domia

788 *Passionis & Orationis Dominice*

Domini JESU in se, qui Passionis ejus socios non adscivit ad se.

Prima Petatio. *Sanctificetur nomen tuum.* Primus JESU Patientis socius & Comes fuit, Contemptus, vilipensio, inhonoratio, & omnis gloriarum detractio. Totus vita Christi Domini decursus istiusmodi sociis familiaribusque fuit stipatus: attamen Patienti illi vel maximè frequenter adfuit, adeò, ut in quovis momento & articulo Passionis suæ usurpare potuerit Dominus verba illa sua? *Ego honorifico Patrem meum, vos autem inhonoratis me.* Et tu ergo ô homo, propter contemptum JESUM, elige & desidera contempsus. Hic tibi sit unicus honor, hæc tua maxima veneratio atque glorificatio, & exultatio, propter honorem, propter voluntatem, propter amorem, propter imitationem, despicii vilificationem JESU, despici, contemni, vilificari. Dignus est utique Deus Dominus noster, ut nos aliqui naturâ vilissimi servi ejus, propter honorem ipsius, per omnia vilificemur, estò ille nostri causa nullatenus contemptus foret, quanto vero magis par est, nos penitus penitusque exinaniri, atque pulverisari nunc, quando videmus propter amorem nostrum Deum nostrum usque adeò contemptibus saginatum, opprobiisque saturatum, & prorsus per omnem suam capacitatem explatum. O verè dignum & justum est, ut per contemptiones vilificationesque nostras, honorificetur, & exaltetur Deus noster, sanctificeturque nomen sanctum ejus.

Secunda Petatio. *Adveniat Regnum tuum.* Secundus JESU Patientis socius fuit, Paupertas, Mendicitas, Nuditas. Hunc socium JESUS habuit

G. BICK  
oper: 53  
JOM L.  
N: 58

buit ab ipsa Nativitate sua, quæ adeò mendicitatis plena fuit, ut stabulo & præsepi, & fæno, à jumentis emendicato, utendum illi fuerit. Eata men paupertas ultimam suæ perfectionis soliditatisque metam, in Passione demum & morte asecuta est. Pendens enim in cruce amabilis JESUS, re ipsa atque veritate demonstravit, sese & volucribus, & vulpeculis, esse ac mori pauperiorem atque nudiorum. Habent enim isthæc animantia nidos suos, foveas suas, in quibus quiescere & fovere se possunt: at JESUS neque ubi caput reclinaret, neque ubi moreretur, neque ubi demum sepeliretur, locum suum habuit. Assume tu quoque, ô homo, juxta status vitæque tuæ conditionem, mendicitatem & nuditatem JESU in Comitem. Esto Pauper spiritu, esto nudus ab omni, ad te, & creaturas omnes affectu, esto solitus à superfluarum, à commodarum, à necessiarum etiam rerum cura, esto liber ab omnibus amoribus, & studiis, & possessionibus & proprietatibus earum rerum, quæ Deus non sunt. Sis ditissimâ; hoc est, nudissima Paupertate stipatissimus, & tunc adveniet tibi Regnum Patris, audiesque à Domino verbum illud: *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.*

Tertia Petition. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Tertius Christi Comes Infirmitas, Coactio, & Impotentia. Etsi enim Dominus oblatus est, quia ipse voluit: & nemo tollebat ab eo animam ejus, sed ipse pro potestate atque voluntate ponebat, iterumque sumebat illam, nihilominus in omni Passione sua videri volebat planè impotens & insufficiens, tam ad effu-

D d d 3

gien-

giendum, quam resistendum Passioni & inimicis  
videri volebat Prudentia sagacitate, consilio  
potentia, & quitate denique adversariorum su-  
rum captus, convictus, coactus, superatus, &  
omnia tormenta, mortemque ipsam passus. Us-  
que adeo Dominus Iesus, suæ tum ad Dei Patris  
voluntatem absolutæ subjectioni, tum suæ po-  
nibili patiendi, debitaque nostra ad novissimum  
quadrantem exsolvendi cupiditati indulxit, ut  
Passionem suam per omnia summa & acerba  
exaggeratam, omnis verò absolutè mitigatio-  
nis, & solatii, imminutionisque expertem esse  
voluerit: eaque de causa, totam suam voluntatem,  
potestatem, sapientiam, libertatem, a se  
ablegarit, omnemque illam, non tantum Patris  
Æterni placito, & honori, verùm etiam hosti-  
um suorum arbitrio, & potestati, tanquam in-  
strumentis, consilio, & decreto Dei famulanti-  
bus permiserit: adeo ut verissimè dictum fuerit  
à Propheta. *Fecerunt in eo, quaecunque voluerant.*  
*Job. 16. 11.*  
*Ps. 87. 5.*

*Marc. 9. 12.* *Et iterum: Satiati sunt pennis meis. Etruslus. Fa-*  
*ctus sum sicut homo sine adjutorio.* Atque hac de-  
mum est vera fames sitisque patiendi; talis de-  
bere esse Patientia perfecta amatorum & imita-  
torum Christi Passi, ut nimirum sic pati velint;  
sic patientur, quasi nocentes, estò innocentes;  
quasi impotentes ad resistendum, estò sufficien-  
tes & validi; quasi juste ac debite, estò contra-  
jus & fas, non comminantes, non resistentes;  
non malum pro malo reddentes, sed malum in  
bono vincentes, inimicos excusantes, defen-  
dentes & vero corde amantes, atque inter be-  
nefactores & amicos reputantes. Hujusmodi Pa-  
tientia opus perfectum habet, hujusmodi Pa-

G. D.  
BICK  
oper: 57  
Tom L.  
N. 8

tientia, Charitatis & Humilitatis est, hujusmodi Patientia ab amore proprio, à vanitate, & superbia procul est, hujusmodi Patientia Christi Patientiae æmula, vicina, & socia est.

Quarta Petitione. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quartus JESU in Passione socius fuit. Labor, Fatigatio, Debilitatio, Defatigatio. O quanto labore laboratum, sudatumque est à Domino JESU, ut exiret à nobis nostra rubigo, & ferrugo! O quanti constitit! quantarum fatigationum missis Christo Domino fuit, tum obedientia ad Patris Æterni voluntatem, tum conatus elaborandi nostrum omnium æternam salutem! Et Adamo quidem dictum est. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Noster autem Redemptor toto corpore sanguinem sudare, omnem carnem suam innocentissimam, plagis, livore, vulneribus convestire, totum sanguinem profundere, vitam ipsam animamque ponere necesse habuit, ut abominandam scabiem fœditatemque peccatorum nostrorum elueret ac eraderet, æternæ autem felicitatis vestem nobis indueret. Et post hæc omnia nos tamen homunciones ad laborem sicut volucres ad volandum natos, pro salute nostra æterna tantillum labrare sudareque piget. Et quis est qui ad sanguinem usque peccato resistat? quis est qui velit servire Christo usque ad defatigationem?

Gen. 3.19.

O laboriose & nostrâ causa defatigate JESU, sudore tuo quoq[ue] dulces nobis levesque fac omnes labores & fatigations nostras, propter voluntatem & gratiam tuam, propter exaltationem & gloriam tuam, propter salutem, & per-

D d d 4     fectio-

792 *Passionis & Orationis Dominice*  
fectionem nostram, & fratum nostrorum, &  
ternam.

Quinta Petatio. *Et dimitte nobis debita no-*  
*stra, sicut & nos dimittimus debitoribus no-*  
*stris.* Quintus JESU in Passione fuit Socius, Sterilitas  
Infructuositas. Post tantos enim sumptus, pol-  
tantos labores, quos Dominus JESUS nostra la-  
luti, ac redemptioni impendit: quibusque mille  
mundorum millia redimere, salvare, ac aeterna  
gratiæ, gloriæque opibus ditare supra modum  
poterat, nihilominus exiguum valde numerum  
electorum, ex non minus tremendo, quam justo  
Patris Aeterni decreto accepit, teste ipsomet  
Domino JESU dicente toties. *Multi vocati, pa-*  
*c verò electi: quasi diceret.* Multi quidem san-  
guine meo redempti, pauci tamen efficaciter  
salutem adepti. Cùm Dominus JESUS terris re-  
lictis Cœlos conscenderet, quingentos vix fi-  
deles discipulosque suos reliquit: heu quam ex-  
igua messis, tam copiosæ sementis, quam ipsem  
Dominus JESUS, utique non insipiens agricola  
& seminator, sparserat!

O JESU quam parcōs & rāros nunc quoque  
fructus laborum tuorum colligis, quantam ste-  
rrilitatem retribuunt tibi etiam nunc Anima no-  
stra? licet eas tu, tam crebro, tamque copio-  
sanguinis, ac meritorum, & gratiarum tuarum  
imbre perpluis, & inundas. O Anima mea  
redi aliquando ad cor, & computa aliquando  
sumptus Domini tui, super te, debitorum tuo-  
rum rationes collige, vide quantis obstricta sis,  
quam solvendo minimè sis, in quantis te accu-  
fiant? clama procidens ad Dominum: Miseri-  
cordiam habe in me, & antiqua debita mea, erra-  
ta sce-

*Matt. 22.14:*

G. D.  
BICK  
oper:  
Tom L.  
N. 8

ta sceleraque mea, sterilitatem ac infructuositatem meam, condona mihi, ego autem deinceps cum gratia tua, uberiores fructus, bonorum operum, fructus virtutum sanctorum, fructus sanctitatis, & justitiae, fructus honoris, & gloriae tuae afferam.

Sexta Petition. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sextus Passionis Dominicæ Comes fuit, Ingratitudo, quām Dominus IESUS enormiter & extreme grandem gravemque pertulit, nominatim ab illo, sibi dilecto, & electo Judæorum populo: ab eo enim post infinita, eaque singularia beneficia, solidam ingratissimi animi mercedem recepit. Quos ille honoravit & exaltavit, ab ipsis contemptus, & despiciens est; quos, miraculis editis, sanavit, ab his vulnere, super vulnis concisus est; quibus vitam dedit, ab iis crudeliter occisus est; retulit ab eis pro amore odium; pro beneficiis maleficia; pro benedictionibus, maledicta; pro sincero, & paterno affectu, hostiles dolos, & fraudes, & molestias. O quām durus fuit hic Comes ingratitudinis, beneficentissimæ, & ad bene de aliis merenduus, promptæ, ac natæ, Christi indol! Sed nunquid non idem prorsus condimentum, largitatis, ac beneficentiae suæ, reportat etiam à nobis Dominus IESUS? Nonne quantò ille in beneficiis, super nos, profusior, tantò magis nos, in ipsum ingrati? Ideo etiam angustatur manus largitatis divinæ super nos, ideo parcior nobis liberalitas gratiæ Dei, ideo subtrahitur nobis in temptationibus robur, in periculis protectio, in difficultatibus auxilium, in dubiis lumen veritatis, in arduis spei firmitas, in frigore fervor charitatis. Vin-

D d 5

cimur

cimur ab hostibus, tam visibilibus quām invisibilis, damur in derisum, & opprobrium, his, quod erunt nos: quia relictā est nobis domus nostra deserta, quia per ingratitudinem nostram Bonitas & Largitas Dei, procul est repulsa. Oportet itaque reddere grates, pro gratiis Dei si volumus habitare in beneficentia, & protectione Altissimi; oportet etiam ingratis nostris benefacere propter Deum. ut ingratitudine satiati IESu socii efficiamur, utque fiamus filii Patris nostri, qui pluit super justos, & injustos, & Solem suum oriri facit, super bonos, & malos: qui denique pro istis ipsis, sanguinem fudit, animamque suam posuit, à quorum manibus, & furore, illum fudit, illamque posuit.

Septima Petitio. *Sed libera nos à mala, Amen.* Septimus IESu Patientis socius fuit. Dolor, & Cruciatus: quem, et si totā vitā suā, adjunctum sibi habuit, peculiariter tamen ille IESUM in Passione comitatus est, adeò, ute de causa, vir, & quasi Rex; aut verius, Regnum dolorum vocatus sit. Quia enim super Dominum IESUM posuerat Pater iniquitates, omnium nostrū, idcirco etiam disciplina pacis nostrae, idcirco omnis poena, & castigatio omnium, & singularum iniquitatum nostrarum, venit, & incubuit super eum. Quare secundū multitudinem, & magnitudinem, peccatorum nostrorum, quae in se Christus suscepere, multitudinem etiam, & magnitudinem, castigationum, suppliciorumque, consequenter dolorum, & cruciatuum æqualem, immo longè superiorem suscepit, atque sustinuit. Ergo jam quisquis voles metire, & penetra abyssum hanc dolorum IESU Christi,

G. BICK  
oper: 57  
Tom 4.  
N. 58

Christi quod si minimè prævales , hinc saltem  
disce,& comprehendere, ex quibus, & ex quantis,  
tandem malorum , & dolorum abyssi, tu sis per  
dolores JESU Christi , extractus. Ut enim tu non  
habitares cum ardoribus sempiternis, ut non sali-  
teris igne, ut non viveres in combustione, & mor-  
te æterna , Dominus & Redemptor tuus, JESUS,  
venit in altitudinem maris, dolorum, & tempestas *Ps. 68. 3.*  
Passionis, atque cruciatuum demerxit eum.

## ACCOMMODATIO VI.

**C**onferendo septem injuriosas Christi Domi-  
ni compellationes: quas ab inimicis in  
Passione retulit, septem postulationibus Oratio-  
nis Dominicæ.

*Pater noster qui es in celis.]*

Considera Christum Dominum esse verissimam  
& ipsissimam Dignitatem Excellentiamque tum  
rerum omnium, tum maximè fidelis populi sui  
Christiani: non ob id solum, quia ille est per  
Christum, ab æterna illa damnationis, & proscri-  
ptionis infamia liberatus; neque ob id tantum,  
quia idem populus est per Christum cohæres  
Regni cœlestis institutus: verum etiam ob id,  
quia omnes nationes Christianæ nihil habent,  
unde verius, justius, sinceriusque gloriari pos-  
sint, ac debeant, quam ex JESU Christo Crucifi-  
xo, contempto, inhonorato. Hic est germanus  
genuinusque sensus totius Christianæ Ecclesiæ,  
cum Apostolo Paulo affirmatè dicentis. *Mibi*  
*absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Chri-* *Ad Gal. 6. 14.*  
*sti.* Ettu ergo si inter Christianæ Ecclesiæ, veros  
filios numeraris, nefas ducito gloriari in aliquo,  
præter

præter JESum Crucifixum : sed ille unus aeterus, tibi sit honor totus, ille dignitas omnis, illi tituli omnes, ille amplitudines omnes, laudes aequae Majestates. Sit Judæis scandalum, Gentibus stultitia, & Tibi cum omnibus electis Virtus Dei & Sapientia, & excellentia, & omnis Decora-

Prima. Petatio. *Sanctificetur nomen tuum.*

Primum Patientis JESu Cognomen fuit, Blasphemus, & impia de Deo indignaque loquens. Reputulit hoc Cognomen Dominus JESus, verus & consubstantialis Dei filius, *candor lucis eternae,* tum ante Passionem, tum præcipue Passionis tempore: adeò ut hanc præcipuam causam, prætenderint Judæorum Primores, mortis Christi.

*Matt. 26.65.* *Isti, Blasphemavit: exclamat Caiphas, ecce enim audistis blasphemiam, quid vobis videtur? at illi*

*Matt. 26.66.* *Reus est mortis.*

O mi JESu tu in omni super terras vita tua id unum solumque præcipue laborasti, ut manifestares Patris tui nomen hominibus, ut honorificares Patrem tuum, & clarificares super terram: & ecce nihilominus, tanquam in Deum injurius atque blasphemus reputaris; appellaris, mortique addiceris: ita etiam Christi servorum conatus omnes, labores, sumptus omnes, confilia, apparatus omnes, quanto purius, sincerius, fructuofius, in exaltationem divini nominis & in propagationem gloriae ipsius, diriguntur, exercenturque: tanto in deterius & obliquius à linguis, censurisque de vulgo, & etiam non de vulgo hominum detorquentur. Sed talium haec est consolatio singularis, quod vestibus, insignibusque sui Imperatoris induantur: ejusque

*titulo-*

titulorum participes fiant, & nomen Dei reverā  
vitā factisque Iuis sanctificantes, à mundo ta-  
men, & filius mundi probrum & improperium  
reportent.

Secunda Petitio. *Adveniat regnum tuum.*  
Secundum Christi Paſſi Cognomen. Ambitio-  
ſus Regnique appetens, falsoſus Rex. Ea propter  
Coronā Spineā redimitus, purpurā induitus,  
ſceptro arundineo, genuflexionibusque illuſo-  
riè ornatus, & Rex consalutatus eſt. Eapropter  
etiam ad Crucem (quæ pœna ambitū fuit) da-  
mnatus, inter latrones medius, ut latronum Rex  
statutus, denique Rex Judæorum ſcripto appella-  
tus eſt. Ita Rex æternæ Gloriæ, tanquam Rex  
æternæ infamiæ, ab hominibus illufus eſt. Ita  
Rex Regum ad proprium Regnum pervenire  
voluit. Ita Rex & Deus noster nobis Regnum  
emereri cœleſte, nosque ſuum Regnum facere  
præelegit. Nos autem, pro quam teſtudineo  
paſſu veſtigia Regis hujus noſtri ſectamur! prō  
quām puerili futile labore, ad æternum Re-  
gnum pervenire conamur! Clamamus quidem  
voce frequenter: *Adveniat regnum tuum,* ſed  
opere viſiſim reclamamus, Recede à nobis Re-  
gnum Dei.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, ſicut in Celo*  
*& in terra.* Tertium Cognomen Paſſi JESU, Se-  
ditiosus. Commovens populum. Subvertens  
gentem, &c. Atque hæc prima primariaque fuit  
Christi apud Pilatum, per Principes Judæorum  
accuſatio. Hac etiam de cauſa Barabbam magis,  
quām JESUM petierunt dimitti, vitāque donari,  
oſtenturi ſcilicet incomparabiliter JESUM magis  
ſeditiosum eſſe, quām Barabbas fuſſet. Hoc  
Cogn-

*G. Bick*  
*oper: 57*  
*Tom L. 1.*  
*N: 18*  
*58*

Cognomen acquisivit Christus, per hoc, quā tam verbis, quām factis, omnes homines ad agnitionem, amorem, subjectionem, impletio nemque Divinæ voluntatis perducebat. Etsq; id hodieque usitatissimum in mundo. Si enim obedire velis magis Deo, quām hominibus, i majorem habeas rationem conscientiæ, legis diuinæ, æqui & veri, quām humanarum phantasiarum; illico tibi seditionis, arrogantis, filii Belial, & sine jugo, inobedientis, turbatoris pacis, nomen cognomenque subeundum est. Sed nimur antiquitus Sancti Dei homines obloquitoribus istis obstruebant os, dicentes: *Si iustus est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, iudicare.* Etrursum. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Usurpavit id ipsum & Dominus IESUS. *Sicut mandatum dedit mihi Pater: sic facio.* O Sanctam & laudabilem hanc arrogantiam, adhærere Deo, insistere ejus voluntati, honorare magis Deum, quām idolum respectuum humorum. Quis det ad hanc seditionem commovere omnes gentes, ut conculcato idolo (quid dicent) omnes uno corde, ore, opere, dicant Deo semper; *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.*

*Quarta Petatio. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quartum Cognomen Domini IESU Patientis fuit, Malefactor, & per omnia improbus, & cuius vita fuerit malè agere, atque *sicut aquam iniquitatem bibere.* O mare omnis bonitatis probitatisque Domine IESU, qui peccatum non fecisti, in cuius ore dolor, in cuius corde iniquitas, reperi non potuit: cui testimonium perhibuit turba dicens.

Bett

Bene omnia fecit : huccine tandem reciderunt omnia, ut malefactor, & per omnia nequam appelleris ? Consolamini justi, & benefacientes omnes, nisi grana bonorum operum vestrorum terræ invidiæ, & maledicentia insepeliantur, & oblocutionum, censurenumque fimo lapidentur, & obruantur, nullum fructum afferent, sed ipsa sola sterilia remanebunt : quod si in linguis, & censuris humanis fuerint macerata, & mortificata , afferent sine dubio æternitatis fructum, etiam centesimum. Indubitatissimum enim uberrimæ in Cœlo meis signum est, copia detractorum in mundo. Idcirco Dominus suis imitatoribus dicebat. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me, gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in Cœlo. Da igitur nobis Domine panem hunc, semper quotidianum in hac vita, confectum ex detractionibus & censuris hominum, in crastino autem, hoc est in altera vita da nobis panem, ex gratia & gloria tua æterna, præparatum.

Quinta Petitio. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quintum Cognomen Christi Patientis fuit , Reus est mortis, debet mori, filius perditionis & mortis. Verè Domine IESu dignus, & reus, & Filius eras mortis, qui factus es pro nostris peccatis hostia & oblatio, super quem , positæ sunt iniuriae omnium nostrum, ut in Te, & per Te expientur, usque ad exsaturationem Justitiæ Paternæ. Propter hoc autem nos ex filiis iræ, facti sumus filii gratiæ ; ex filiis mortis, filii vitæ ; ex filiis damnationis, facti sumus filii regni , & beatitudinis :

800 *Passionis & Orationis Dominicæ*

dinis: ita ut illa Dei iustitia, quæ ante nobis debbat pœnas, & supplicia, jam ab merita, solutionemque tuam, facta sit nobis debitrix vita mercedis, & præmiorum æternorum. Idcirco illi non quasi petentes, sed veluti exigentes dicimus. *Dimitte nobis debita nostra, &c.*

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in temptationem,* Sextum JESU Patientis Cognomen fuit, Pseudopropheta, Seductor, Fallarius. Quod Cognomen, ita serviebat Domino JESU, sicut sibi convenit nox, aut igni frigus. Vocatus est nihilominus isto nomine Dominus noster, tam ante, quam post mortem: Et quidem ideo quia falsitates, dolos, errores, deceptions hominum refellebat, & coarquebat. Veritate autem prædicabat, & prædicebat. Dilexerant nimis homines magis tenebras, quam lucem, nec volebant ad eam accedere, ut non arguentur opera eorum, quæ utique erant mala, quodipsum & hodie reperire non est difficile: homines enim si male agunt, qui putrescant ut jumenta in stercore suo, vocant tenebras lucem, & lucem tenebras, bonum malum, & malum bonum, doctrinam veritatis, & placitum divinitate legis, & Sanctorum monita, & exempla, non videntur falsitatis, hypocryseos, superstitionis arguere, fatuitates appellare, huic saeculo, & his moribus minimè convenire. Semper scilicet Deus omnibus Seductor est, semper Pseudopropheta; nemini minus quam Deo credunt, immo celera sua, & pravae voluntatis nequitias, obstinationesque, ac duritas cordis appingunt Deo, interim vero totos se ad arbitrium fingunt diaboli: & mercede data conducunt, coguntque dæmones

*Di  
g: Bick  
oper: 52  
Tom L 1.  
N 3  
E 8*

in perniciem suam: gloriantur cùm malè fece-  
rint, exultant in rebus pessimis suamque in obse-  
quium diaboli propensionem, facilitatem, fidel-  
itatem prædicant.

O Veritas JESU, qui verax Magister es, & viam  
Dei in veritate doces, aperi & detege dolos istos  
nobis; ne inducas nos in temptationem, ne dese-  
ras nos in laqueis & decipulis diaboli, sed emitte  
lucem tuam, & veritatem tuam, & assere nos in  
libertatem filiorum tuorum.

Septima Petatio. *Sed libera nos à malo, Amen.*  
Septimum Cognomen Passi JESU, Latro & latro-  
nibus pejor, latronumque Princeps. Abunde  
hunc suum, de Domino JESU, sensum demonstra-  
runt, quando illi Barabbam seditiosum, homici-  
dam, & latronem præposuerunt, quando illum  
cum iniquis deputarunt, quando illi patibulum  
proprium bajuandum imposuerunt, quando il-  
lum latronum publicorum morte, interque la-  
trones medium, interfecerunt. Neque dissimu-  
lavit id contumeliaz Dominus JESUS, quod ad  
comprehendendum se accinctis Judæorum mi-  
nistris, & ipsi met Primoribus dixit: tanquam ad  
latronem existis, cum gladiis comprehendere  
me. Talia sunt humana judicia: eum qui ab om-  
ni injuria corporis mentisque homines liberat,  
latronem, & omnis mali humani authorem fece-  
runt, & tanquam revera tales, turpissimâ, cru-  
delissimâ, latronumq; propriâ morte affecerunt.  
Hæc est omnium piorum unica consolatio. Non  
est servus major Domino suo, si Dominum, latro-  
nis titulo ornârunt, servis quidni idem cognomen  
imponant. Si Patrem familias Beelzebub, Sama-  
ritanum, dœmonium habentem, insanum, in fu-

V.P. Druzb. Op. VIII. Eee rorem

rorem versum, veneficum appellârunt; quam  
magis domesticos ejus paribus coloribus depi-  
gent.

Da Domine JEsu nos fieri participes, tecto  
omnis humani maledicti propter te: & liberans  
ab experimento omnis interni, & exteriori ma-  
propter eundem Te.

## ACCOMMODATIO VII,

**A**ccommodando septem Effectus, sive fru-  
ctus Passio[n]is Christi, totidem Postulatio[n]ib[us]  
Orationis Dominicæ.

*Pater noster qui es in Cælis.* Considera Passionem  
Domini Salvatoris nostri, esse inexhaustum  
quoddam gazophilacium, ex quo cuicunque  
(modo libeat) licet haurire omnem bonorum  
abundantiam, omnem meritorum, gratiarum,  
virtutum, auxiliorumque, tam exterorum, quam  
internorum copiam. Nemo justè queri potest, si  
vel arceri ab hoc thesauro, vel parum quidquam  
participare, vel pauperem esse: omnia enim bo-  
na, tam in copia, quam & in aperto sunt, ad hoc  
unum ut hauriantur; & quidem quam copio[sim]e,  
avarissimè, assiduissimè hauriantur. Quam  
enim JEsus totus vulneratus est, tam iste thela[u]-  
rus totus plenus, totus apertus, & expositus est.  
Sibi ergo imputet, quisquis parùm, quisquis raro,  
quisquis timidè, quisquis nihil haufit. Solus  
enim ille hinc expellitur, qui se negligentem, as-  
per hoc & indignum hauriendo exhibit. Nam  
cætero ille commodissimè copiosissimè par-  
ticipat, quisquis abrenuntians peccatis & jugis  
cupiditatum suarum pravarum excutiens, &  
suasque voluntates abnegans, crucifixo JEsu le-

con-  
pro-  
infa-  
tuti-  
sele-  
qui-  
stab-  
sem-  
Fru-  
Spe-  
mo-  
enir-  
dim-  
fica-  
Ho-  
glo-  
Cre-  
ber-  
que-  
lari-  
cor-  
fice-  
JEs-  
hab-  
que-  
na-  
fir-  
&-  
cru-  
isti-  
lac-  
me-  
ren-  
con-

conformat, voluntati Dei totum se submittit, proprii honoris & amoris conculcator, Deum insatiabiliter exaltat, meritis Christi sese dirat, virtutibus exornat, æternæ beatitudinis hæreditate sese dignum idoneumque reddit. Hoc autem quicunque vult præstare, admodum facile præstabit, modo gratiæ Dei non defit, & posteaquam semel incepit, usque in finem perseveret.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Primus Fructus Effectusque Passionis Christi est. Fides, Spes, Charitas. Sine quibus virtutibus, nullo modo salus æterna à nobis acquiri potest. Hæc enim est totius nostri ædificii Spiritualis structura, dimensio, & norma. Hoc est illud, quo Sanctificare nomen Dei nostri debemus, ac possumus. Hoc illud etiam est, quo uno, ac Solo Dei laus, & gloria, in mentibus nostris radicatur, & germinat. Credere in Deum, ejusque notitiam veram habere: in ejus auxilio, spem omnem collocare, de que ejus gratia, & manu liberali, salutem præstolari, & ad extremum eundem, super omnia tunc corde amare, æstimare, & ab hoc nunquam deficere. Quod totum ex meritis, Domini nostri JESU Christi, per Passionem, ac mortem, quæsitum habemus. Immo vero nihil nos ita illuminat, in que cognitionem Dei dicit, nihil ita revelat divina mysteria, nihil ita spem roborat, & in Deum firmat, nihil ita in nobis charitas flaminam auget, & exaggerat, sicut JESUS crucifixus, sicut Passio cruenta Salvatoris nostri. Hauri ergo, ô homo, de istis fontibus, de istis thesauris, de istis Gazophiliaciis, vulnerum Salvatoris? hauri, inquam, lumen fidei in Deum, robur fiducie in Deo, ardorem & efficaciam charitatis erga Deum. Si hinc ista non hauris, frustra aliunde speras, & quæris.

Eee 2

Se

*Secunda Petatio. Adveniat Regnum tuum.* JESU  
volu  
mor  
auxi  
indu  
& m  
cog  
tis a  
ris, c  
odiu  
ex n  
Chr  
qua  
tum  
Fructus Effectusque Passionis Christi est. Gratia & Amicitia, & Charitas Dei, in nobis manet nosque Deo amabiles reddens. Quæ Gratia, nostra & Sanctitas, & Justitia; hæc nos facit Regnum, hanc mendicamus, quando advenire nos Dei regnum rogamus: hæc est sementis æternæ, hæc est jus ad hereditandum Regnum cælestis. Ipsa est præcipuus flos mercedum, cunctis laboribus Christi repensarum, hanc quando nobis meritis suis acquisivit, hoc ipso nos reconciliavit, hoc ipso nos Regnum Deo, & nobis Deum fecit.

O verum & beatum Dei Regnum, advenias tandem in nos, & mane in nobis in æternum. O pretiosissime thesaure, in agro Humanitatis Christi JESU defosse, & abscondite, sed per vulnera & Passionem ejusdem effosse, & in lucem producere & à prudentissimo mercatore, impendio totius substantiæ suæ, nobis empte, atque quæsite. Dona dulcis JESU nobis hunc thesaurum, & illumque nobis serva, ut eum semper possidentes, ejusque bonis fruentes, eundem transferamus nobiscum, usque in vitam, usque ad hereditatem æternam.

*Tertia Petatio. Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* Tertius Fructus effectusque seu meritum Passionis Christi, sunt auxilia actualia ad implendum voluntatem Dei, & ad præstamenta opere omnia ad salutem, immo & perfectionem tam necessaria, quam parata semper. Quia enim volenti ad vitam ingredi, opus est observatione mandatorum Dei; hæc autem nostris propriis viribus non fit, absque divino auxilio, Dominus JESUS

*G. BICK  
oper: 52  
Tom L. 1.5  
N. 5  
E*

JESUS postquam nos magisterio suo, de divina voluntate edocuisset; postquam nobis in ejus amore, & executione, exemplo prævivisset, etiam auxiliorum, ad ejus impletionem, necessariorum, indubitatam copiam, nobis per suam Passionem & mortem promeruit, & obtinuit. Inde omnis cogitatio bona & sancta, omnis nostræ voluntatis ad bonum affectus, omnis executio boni operis, omnis in bono perseverantia, omne peccati odium, & fuga, & emendatio, ab auxilio Dei est, ex meritis Christi est: quæ auxilia meritaque, à Christo ita derivamus, sicut palmites à suâ, in qua sunt vite, trahunt succum, vitam, incrementum, fructumque suum.

O viva & vera Vitis Bone JESU: serva in te nos palmites tuos purgatos, vivos, crescentes, fructuosos, abundanter, & perenniter fac nos. Sine te enim arescimus, præscindimur, & in ignem mittimur, & ardemus. Palmiti namque aut vitis debetur, aut ignis: ut ergo in igne non simus, in te vera vite simus. O caput nostrum nobilissimum: dirige nos in viam rectam mandatorum Dei: ut sic in te, ita & in nobis impleatur semper, bona, beneplacens, & perfecta voluntas.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quartus Effectus Fructusque Passionis Christi fuit, Sacramentum corporis & sanguinis Domini, quo in præsenti vita, animæ nostræ aluntur, confirmantur, & saginantur, ut robustiores, & vegetiores effectæ, dilatato, & impinguato, per charitatem corde, currant in via Spiritus, usque ad bravium vitæ æternæ. Hoc Sacramentum pretiosissimum, non solum habet in se virtutem, & merita, Passionis, & mortis

Eee 3

Christi,

Christi, sed insuper etiam continet in se ipsum  
met Christum, omnem scilicet substantiam ejus.  
Corpus, sanguinem, vitam, animam, divitiae  
omnia bona, & virtutes, & gratias, & merita  
plane sicut in fonte habentur rivuli, sicut in l*o*  
habentur radii, sic in gazophylacio habentur th  
sauri, sicut in anima habentur vita, potentia,  
opera. Grandis est hic & inestimabilis fructus  
Passionis, mortisque Christi, qui pro omnibus  
illis liberalissime communicatur, a quibus di  
tati<sup>m</sup> per incensa & inexplata desideria con  
concupiscitur. Mira res sane, quod pro totius  
mundi pretio non daretur homini, hoc pro de  
voto, humili, & ignito desiderio, largissime pro  
funditur. Congrega igitur totius mundi cupidi  
tates, desideria, & avaritias, illasque desideran  
do Sanctissimo Sacramento impendens dic: Pa  
nem nostrum quotidianum, nobis, sanguine & cor  
pore, Filii tui Unigeniti conditum, Domine, da  
nobis hodie, da semper, da in tempore mortis  
nostræ.

Quinta Petatio. *Et dimitte nobis debita nostra,*  
*sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quin  
tus Fructus Effectusque Passionis Christi el. Re  
missio & abolitio peccatorum nostrorum omni  
um. Utenim in mari rubro, sic deleti sunt demer  
sique omnes Ægyptii, ut non remanerent ex eis  
ne unus quidem; ita in Passionis, & mortis Christi JESU cruentissimo mari, deleta sunt omnia  
peccata nostra, descenderunt sicut plumbum, in  
profundum oblivionis divinæ, unumque ex eis  
in conspectu ejus non remansit. O fortunatum  
diluvium, in quo filii quidem Dei, abluti, & sal  
vati; diabolus autem, & peccata demersa sunt,

&amp; de-

Dicitur  
Gloria  
Oper:  
Tom L.  
Non 18

& delata. In hoc balneo , diebus singulis , lava  
cor tuum, anima mea, & expurga ab eo, omnes  
iniquitates ejus: nominatim , omnem iram, om-  
ne fraternum odium, omnem vindictæ cupiditi-  
tatem, omnem injuriarum, offendarumque me-  
moriam, ut libere , sincereque oculos tuos, le-  
vare possis, ad illum Dominum tuum, qui pro te  
pendens in cruce, oravit pro crucifixoribus suis,  
docuitque te sic orare. *Dimitte nobis debita no-  
stra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Sexta Petition. *Et ne nos inducas in temptationem.*  
Sextus Fructus Effectusque Passionis Christi est,  
Debellatio infernalis Tyranni, qui potestatem  
suam cruentam non minus, quam iniquam, in  
omne genus nostrum, exercebat, ob quam et-  
iam, ab ipso Redemptore nostro, vocatus est,  
Princeps hujus mundi, vocatus est fortis, arma-  
tus, custodiens atrium suum, & spolia sua in pa-  
ce. Hunc sanguinarium Tyrannum Dominus  
Iesus vicit, & debellavit, virtutem ejus contrivit,  
ipsum alligavit, & vasa, spoliaque diripuit, Pas-  
sione, cruce, & morte suâ, usque adeò, ut jam  
modò, prædo, & draco, & Leviathan iste, sit lu-  
dibrio pueris puellisque Christi, & illudant ei  
alligato, tanquam aviculæ implumi, & enervi, &  
retia temptationum ejus, facilius quam aranearum  
fila, perrumpere valeant, & ex eis victoriæ suæ  
trophæa, in Domino gloriantes statuant. Inde  
experimur legiones tartareas universas, ad uni-  
cum crucis signum, instar timidissimarum diffu-  
gere avicularum, aut captarum. Quocirca quis-  
quis non tantum vult non timere, à facie Tyran-  
ni hujus, sed etiam cupit, super aspidem, & basi-  
liscum ambulare, & leonem draconemque istum

Eee 4

con-

808 *Passionis & Orationis Dominicæ &c.*

conculcare, scuto Passionis Christi, sese communiat, & circumdet, quo fieri ut omnes vires, contus, fraudes, assultusque diaboli, in rictum & luctum Cœlitibus, in confusionem, & ejulatum inferis, & victoriam, & prœmium, & gloriam siti convertat.

Septima Petatio. *Sed libera nos à malo, Amen.* Septimus Fructus atque Effectus Dominicæ Passionis est, Eliberatio nostra, Immunitasque à peccatis, tum inferni, tum purgatorii, tum etiam, (sicut in vinæ opere non desimus) ab ipsis, hujus vita. Omnes nascimur naturâ filii iræ, & pabula infernalis ignis, sed illos infernales ardores sempiternos, sanguis Christi extinxit, emundans nos ab omni iniuste, & satisfaciens, justitiæ Dei, pro omni noltro, tam culpæ, quam poenæ reatu, ac debito. O quam ergo injuriam, contumeliamque faciunt Iesu Christo Passo, & Crucifixo, omnes peccatores, qui habentes extinctum sanguine Christi infernalem ignem, eum tamen ipsis, denuo, cupiditatum suarum effrenium æstu, in contemptum Dei, in gaudium diaboli, in nutrimentum inferni, reaccendunt, seque incendiorum illorum, sempiternum pabulum exhibent.

O Iesu pro nobis Passe, & mortue, liberanos ab hoc malo: & da, ut sanguinis Passionis que tu usum, & fructum, & merito, incendium infernale, tam nobis ipsis, quam omnibus proximis nostris extinguamus; nunquam illud, seu nobis ipsis, seu proximis restaureremus, sed potius unanimiter omnes, æternâ beatitudine dignos idoneos, que facere, te adjuvante connitamur.

IN